

# The Electronic *Manipulus florum*

[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Sortilegium et diuinitio b cum uariis

Incantatores dicuntur qui artem uerbis peragunt, areoli qui circa aras ydolorum nepharias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt. Auruspices dicuntur horarum inspectores. Dies enim et horas in agendis negociis et operibus custodiunt, exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura predicunt. Augures sunt qui uolatus auium et uoces intendunt. Dicitur enim augurium quasi augerium quod aues gerunt. Phitonisse a Phitonio, id est Apolline, dicte que dicunt se habere spiritum per quem possunt futura predicere. Genesiani qui geneses, id est natiuitates, hominum per duodecim signa celi describunt, ac per hoc mortes, actus et euentus predicere conantur. Salitores qui dum eis membrorum quecumque partes offenderint, aliquid inde sibi prosperum siue triste significari presumunt. Sortilegii uero communi nomine a sorte dicuntur.

Augustinus ibidem et ponuntur XXVI. questione IIII.: Igitur.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

circa] circas P V<sup>1</sup>; nepharias] nepharia C M; offerunt] auferunt M; et ex eis futura predicunt *om.* P V<sup>1</sup>; dicunt] dicuntur C; quecumque *om.* C; inde] idem V<sup>1</sup>; sibi prosperum] prosperum sibi P V<sup>1</sup>; ponuntur] ponitur P V<sup>1</sup>; questione IIII.] 44. P V<sup>1</sup>; Incantatores... questione IIII. Igitur] diuinitio est earum rerum predictio, et praesensio quae sunt fortuitae. Tullius in 2. de diuinitate V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>